

# The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

## Seruicium h cum fonte primo

Decorem domus dicit non  
pulchritudinem parietum aut  
ministrorum preciosissimos apparatus,  
sed ipsorum actuum beatissimam  
qualitatem quibus cuncta gaudet  
ecclesia, scilicet in Psalmorum  
iubilatione, in precum sanctitate, in  
Christiani populi humili deuotione,

subiungens glorie tue quia  
ubicumque habitat Deus, gloria est.  
Gloriosum efficit quicquid  
inhabitare dignatur, et ab hospitis merito  
crescit hospicii magnitudo.

Cassiodorus super Psalmum XXV.

Decorem domus dicit, non  
pulchritudinem parietum aut  
ministeriorum pretiosissimos apparatus  
sed ipsorum actuum beatissimam  
qualitatem, in quibus cuncta gaudet  
Ecclesia, in est, in psalmorum  
iubilatione, in precum sanctitate, in  
christiani populi humillima deuotione.  
Prius enim de uniuersali dixit Ecclesia,  
nunc uenit ad sanctos, in quibus gloria  
Deo habitare cognoscitur: de quibus  
apostolus dicit: *Templum enim Dei  
sanctum est, quod estis uos.* Dicendo  
enim *habitationis locum*, humani  
pectoris significauit arcanum; mirabiliter  
subiungens, glorie tuae, quia  
ubicumque habitat, gloria est.  
Gloriosum enim efficit quicquid  
inhabitare dignatur et ab hospitis merito  
crescit hospicii magnitudo.

Aurelius Cassiodorus, *Expositio  
Psalmorum*, 25, 8 (CCSL 97, M. Adrien  
ed., pp.232-3, ll.127-138).